Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31664
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

cit ad sanitatem. Morbi omnes ex quattuor nascuntur humoribus, id est ex sanguine et felle, melancolia et flegmate. Ex ipsis enim reguntur sani, ex ipsis leduntur infirmi. Dum enim amplius extra cursum nature creverint, egritudines faciunt. Sicut autem quattuor sunt elementa, sic et IIII humores, et unusquisque humor suum elementum imitatur. Sanguis aerem, colera ignem, melancolia terram, flegma aquam. Et sunt quattuor humores sicut IIII elementa que conservant corpora nostra. Sanguis ex greca ethimologia vocabulum sumpsit, quod vegetetur et sustentetur et vivat. Colera namque greci vocaverunt quod unius diei spacio terminetur. Unde et colera, id est felliculа nominata est, hoc est fellis effusio. Greci enim fel colen dicunt. Melancolia dicta eo quod sit ex nigri sanguinis fece admixta habundantia fellis. Greci enim melan nigrum vocant, fel autem colen appellant. Sanguis latine vocatus quod suavis sit, unde et homines quibus dominatur sanguis dulces et blandi sunt. Flegma autem dixerunt quod sit frigida. Greci enim frigorem flegmonem appellant. Ex his IIII humoribus reguntur sani, ex ipsis leduntur infirmi. Dum enim amplius extra cursum nature creverint, egritudines faciunt. Ex sanguine autem et felle acute passiones nascuntur, quas greci oxea vocant. Ex flegmate vero et melancolia veteres cause procedunt, quas greci cronia dicunt.

De acutis morbis. VI.

Oxea est acutus morbus qui aut cito transit, aut celerius interficit, ut pleuresis, frenesis. Oxi enim acutum apud grecos et velocem significat. Cronia est prolixus corporis morbus qui multis temporibus remoratur, ut podagra, tisis. Cronos autem apud grecos tempus dicitur. Quedam autem passiones ex propriis causis nomina acceperunt. Febris a fervore dicta. Est enim habundantia caloris. Frenesis appellata sive ab inpedimento mentis, quia greci mentem frenas vocant, seu quod dentibus infrendant. Nam frendere est dentes concutere. Est autem perturbatio mentis cum exagitacione et dementia ex colerica vi effecta. Cardia vocabulum a corde sumpsit, dum ex aliquo timore aut dolore efficitur. Cor enim greci cardian vocant. Est enim cordis passio cum formidabili metu. Letargia a somno vocata, est enim oppressio cerebri cum oblivione et somno iugi veluti stertentis. Sinancis a continentia spiritus et prefocatione dicta. Greci enim sinancen continere dicunt. Qui enim hoc vicio laborant dolore faucium prefocantur. Flegmon est inquietum cum rubore et dolore et tensione et duricia et vastitate. Flegmon est fervor stomachi cum extensione atque dolore. Nam cum cepit fieri flegmon, inquietudo et febris consequitur. Unde et dicta est flegmon apo fleta, id est inflamans. Sic enim sentitur, et inde nomen accepit. Pleuresis est dolor lateris acutus cum febre et sputo sanguinolento. Latus enim grece pleora dicitur, unde et pleoretica passio nomen accepit. Peripleumonia est pulmonis vicium cum dolore vehementi et suspirio. Greci enim pulmonem fleumonem vocant, unde et egritudo dicta est. Apoplexia est subita effusio sanguinis, qua suffocati intereunt. Dicta autem apoplexia quod ex letali percussu repentinus casus fiat. Greci enim percussionem apoplexin vocant. Spasmus latine contractio subita partium aut nervorum cum dolore vehementi, quam passionem a corde nominatam dixerunt, quia in nobis principatum vigoris habet. Fit autem ex duobus modis: aut ex replecione aut exinanitione. Titanus maior est contractio nervorum a cervice ad dorsum. Tetulatis dolor est, dictum autem ita a medicis, quod dolore corpus tamquam verberet quasi gladius. Ileos